Kawaliszewski Bened. Gasp. Quaestio physica

de causa finali.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

QVÆSTIO PHYSICA, DE CAVSA FINALI.

SVB FELICISSIMIS AVSPICIIS,

Magnifici, Perillustris, & Reuerendissimi Dñi,

D. M. JACOBI BALTAZAROWIC,

S. Theol: Doctoris, & Professoris,

inter Collegas Maiores, SENIORIS PATRIS,

Ecclesiarum, Cathedralis Cracouiensis CANONICI,

Collegiatæ Sanctorum Omnium PRÆPOSITI,

CVRATI Prosouiẽ: Cõtubernij Staringeliani PROVISORIS,

Studij Almæ Vniuersitatis Cracouiẽ:

Generalis & Vigilantissimi

RECTORIS.

A

M. BENEDICTO GASPARO KAWALCZEWSKI,

Philosophiæ Doctore & Professore.

PRO LOCO in Collegio Minori obtinendo;

in Perausgusto DD. Theologorum Lectorio,

PVBLICÈ ad DISPVTANDVM,

PROPOSITA.

Anno Incarnati Verbi Divini, M. DC. LXXXIV.

Mensis Octobris, Die 17. Horâ 14.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

QVÆSTIO PHYSICA.

VFinis tripliciter diuisibilis, habens pro ratione formali constitutiua sui, in esse causatiui, solam bonitatem realem apprehensam, media verò formaliter sumpta pro effectu suo; sit vera & realis Causa Physica; nec ne?

CONCLVSIO I.

TRiplex est Diuisio Finis 1ma. in Finem CVI & QVI. 2da. in Finem Formalem & Obiectivum. 3tia. in Finem Ultimum & Proximum ac Intermedium.

COROLLARIA.

I. *Finis* QVI *&* CVI *non sunt duo adæquati & condistincti Fines.*

II. *Diuisio Finis in Finem* CVI *&* QVI, *solum est diuisio in duas rationes vnum Finem totalẽ constituẽtes.*

III. *Finis* CVI *dicitur Subiectum, seu Persona illa cui optatur aliquod bonum; Finis verò* QVI *est bonum quod illi Personæ optatur.*

IV. *Finis Formalis est operatio, quâ aliquid assequimur; Finis verò Obiectiuus est res possessa.*

V. *Sicut Finis Proximus est ille, qui immediatè intenditur: ita Intermedius ille est ad quem Proximus ordinatur; iam verò vltimus est ille, ad quem omnia alia referuntur, ast ipse ad nihil aliud.* CON-

CONCLVSIO II.

FInis pro ratione formali constitutiua sui, in esse causatiui, solam habet bonitatem realem apprehensam.

COROLLARIA.

I. *Apprehensio, repræsentatio, & cognitio boni, seu bonitas secundùm esse intentionale, non est ratio formalis finalisandi, seu motiua appetitûs, sed solùm est conditio sine* QVA NON.

II. *Licet Finis realiter finaliset, siue secundùm esse reale, in statu tamen obiectiuo, ac intentionali; & ideò dici etiam posset finalisare secundùm esse intentionale, dum modò hoc esse, non intelligatur ratio formalis constitutiua finis in esse finis, & quasi vis causatiua ipsius, sed tantùm mera conditio.*

III. *Solum bonum honestum, & delectabile, propriè finalisant; non verò bona vtilia.*

IV. *Malum sub ratione mali non potest habere rationem finis: seu quod idem est non potest appeti.*

V. *Malum sub ratione, siue sub specie boni, potest appeti & habere rationem finis.*

CONCLVSIO III.

MEdia formaliter sumpta habet finis pro effectu suo.

COROLLARIA.

I. *Amor finis & intentio, seu desiderium ipsius, per se loquendo, non est effectus Causæ finalis.*

II. *Inquisitio & electio mediorum, non sunt in rigore et per se effectus Causæ finalis.*

III. *Vsus, & applicatio, seu executio mediorum, non sunt effectus Causæ finalis.*

IV. *Consecutio finis, & possessio, ac fruitio eiusdem, non sunt propriè loquendo effectus finis.*

V. *Gaudium, & fruitio non sunt effectus finis.*

CONCLVSIO IV.

Finis est vera & realis Causa Physica.

COROLLARIA.

I. *Ad rationem veræ Causæ Physicæ requiritur vt res causata dependeat ab ea, per dependentiam veram & rigorosam.*

II. *Vera dependentia non reperitur, nisi inter duo essentialiter distincta, habentia diuersas essentias saltem numero.*

III. *Causæ Finali nec ratio motiui, nec ratio terminatiui deest.*

IV. *Effectus Causæ Finalis, ita producuntur gratiâ Finis, vt illo sublato, non constituantur in suo esse reali.*

V. *Media ad finem, quamuis interdum habeant rationem finis non vltimi; non tamen possunt simpliciter habere rationem veræ Causæ Finalis.*

ET hæc de fine dicta, illi qui est Alpha & Omega, principium & finis omnium rerum DEO Optimo Maximo, Sanctissimæ Virgini sine labe peccati originalis conceptæ, Diuisq; Tutelaribus, præcipuè Divo Patriarchæ Nostro IOANNI CANTIO dicata sunto.



Permissu Magnifici Dñi, RECTORIS.